

Quum is collegarum, cui hujus programmatis scribendi munus an onus secundum veterem legem demandaveram, aliis districtus negotiis me, ut se dimitterem, oraverit, ipse hoc quoque anno aliquid conscribere cogor. Quod facturus et breviter quidem de eodem, de quo novissime scripseram, de *Platone* dissero, in cujus duodecim de *Legibus* libros etiam post laudabilissimum *Turicensium* laborem ea opera non egenos minus quam dignos quae inter legendum sat multa conjeci, ex iis quaedam hic cum lectoribus, si qui erunt, communicare visum est.

Decrevi autem quosdam ex iis maxime locis tractare, in quibus miror ne recentissimos quidem editores ad veterum librorum manuscriptorum auctoritatem redire maluisse. Nam videor mihi vidisse, A et Ω praecipue codicum non minorem vel laudem vel auctoritatem esse in iis, quae quamvis ab ipso Platone non ita, ut exhibent, esse scripta vel certum vel saltem probabile sit, facile tamen ad veram Platonis manum restituendam ducunt, quam in iis, quae ipsi rectius et fidelius servarunt quam reliqui codices omnes.

Sic ergo in secundo libro p. 554. b. 2. ed. Turic. in verbis: Καλῶς τοίνυν τούτων γὰρ δὴ τῶν ὀρθῶς τετραμμένων ἡδονῶν καὶ λεπτῶν παιδείων οὐσῶν χαλᾶται τοῖς ἀνθρώποις καὶ διαφθείρεται τὰ πολλὰ ἐν τῇ βίῃ septem illi, quos contulit *Bekkerus*, libri omnes non habent τὰ πολλὰ sed potius κατὰ πολλὰ. A qua librorum, ut ajebam, omnium lectione cur recesserint editores quamvis non nesciam — est enim ea, quam ipsi receperunt, lectio admodum facilis ad explicandum et concinna: τούτων γὰρ τῶν ἡδονῶν καὶ λεπτῶν τὰ πολλὰ χαλᾶται καὶ διαφθείρεται τοῖς ἀνθρώποις, ut neutiquam opus sit satis operoso *Astii* commento de genitivis absolutis, qui scilicet significant: „quod attinet ad“: — nihilominus tamen equidem recte fecisse editores ut credam adduci nunquam potero. Sanam enim artis criticae exercitationem ex notissima verissimaque procul dubio lege faciliora difficilioribus posthaberi jubere quis ignoret? Nam cur editores illud τὰ πολλὰ de sua conjectura — ex libris enim non videtur esse sumptum — intulerint, sic quidem satis est manifestum, qui autem κατὰ πολλὰ in libros eosque omnes irrepserit, quis explicet ita, ut persuadeat sobrii iudicii homi-

nibus? — Tenendae sunt me iudice ejusmodi tanta librorum auctoritate munitae lectiones, dum linguae leges et sententiae ratio concedunt. Scripsit ergo hic, opinor, ipse Plato κατὰ πολλά, quod mutatum esse credo propterea a librariis vel criticis, quoniam ea dicendi ratio Graecis quidem omnium generum et poetis et scriptoribus usitatissima sed nobis est durissima. Nam si haec omnium librorum lectio est vera, verborum ordo et regula sic se habet: τούτων γὰρ δὴ τῶν ὀρθῶς τετραμμένων ἡδονῶν καὶ λυπῶν παιδειῶν οὐσῶν χαλᾶται τοῖς ἀνθρώποις κατὰ πολλά ἐν τῇ βίῃ: ab his enim voluptatibus et tristitiis saepe in vita receditur hominibus, χαλᾶται τούτων. Χαλᾶν enim verbum propter significationem recte cum genitivo jungi posse vix quisquam negabit. Huic autem verbo additur casu non mutato καὶ διαφθείρεται. Num quis autem docendus sit demum, Graecos persaepe duo verba, quae diversos regunt casus, uni adjungere? Equidem certe quamvis multa possim, nolo tamen vel unum ejus consuetudinis exemplum hic afferre. Quam utramque dicendi licentiam quamvis non negem non nobis solum insolentiorum videri, sed ipsis etiam Graecis, si quid video, justo duriorum accidisse, nihilominus tamen, quicumque hos de Legibus libros accurate legerunt, non nimis opinor, mirabuntur, scatent enim fere, ut ita dicam, ejusmodi salebris orationis. Tum vero ex omnibus, quibus dialecticorum regula cordi est, illud quaerere libet, utrum malint propter difficultatem quidem aliquam sed eam nec linguae legibus nec consuetudini contrariam omnium librorum auctoritatem aversari. Denique illud quoque non omittendum duco, τὰ πολλά mihi ne per sententiae quidem rationem stare videri. Nam verum non est, illarum rerum plurima (τὰ πολλά) corrumpi ab hominibus, sed multa tantum sive saepe. —

In eadem verborum comprehensione aliud quoque levissima facta mutatione recte libros omnes tenere arbitror. Nam pro eo, quod hodie edi solet: καὶ Μοῦσας Ἀπόλλωνά τε μουσηγέτην καὶ Διόνυσον ξυνεορταστάς ἔδοσαν, ἵν' ἐπανορθῶνται τὰς τροφὰς γενομένας ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ θεῶν: in libris omnibus scribitur τὰς τε τροφὰς. Qua in lectione quis non mecum miretur illud τέ, quod equidem certe nullo prorsus pacto credere possum de nihilo esse? Ut brevis sim, magno-pere dubito, an Platonem ipsum scripsisse dicam: τὰς τετροφὰς γενομένας κ. τ. λ. Nam Graecos etiam in nominibus reduplicationis legem novisse sat multa exempla testantur. Quantumvis enim quatuor illa eo modo formata vocabula, quorum *Eustathius* ad *Odyss.* β, 3. mentionem facit, ἐγρήγοροις, πεποιθήσις, ἀντιπεποιθήσις, ὀπωπή, facile *Phrynicho*, *Thomae Magistro* et *Lobeckio* ad *Phryn.* p. 294 largiamur Attica non esse, certum tamen est, eadem graeca fuisse. *Lobeckius* illis addit haec usitata, ut ait ipse, ἀγωγή, ἀκωκή, ἔδωδῆ, ἀνοκωχή. De ἔδωδῆ autem et ἔδητες vocibus male statuit *Eustathius* ad *Odyss.* α, 150. Ἀγωγή vero et ἀγωγέες alia formantur ex ea perfecti forma, quae perperam dicitur Attica, ἀγήοχα eodem modo, quo ὀγδώκοντα ex ὀδοήκοντα. Eodem pertinere suspicor εἰρήνη et ἀνάγκη nomina, eodem, sed eo reduplicationis genere, quod est in praesenti, τιδήνη. Inde explicandum est Graearum alterius nomen Περφρηδῶ, quam utrum recte *Hermannus* in ingeniosissima de mythologia Graecorum antiquissima (*Opp.* II. p. 180) commentatione *Auferonam* interpretetur an secus, satis est ancipitis iudicii. Ea originationis lege tenentur etiam adjectiva et verba, veluti βέβαιος, βέβηλος, τέτανός, δαίδαλος, παίπαλος, κοικέλλω et μοιμέλλω, de quibus cf. *Fritzsche* ad *Aristoph.* *Thesmoph.* 852, ἀμαμάκετος, quod haud scio an recte ajam

*Reisig.* ad Sophocl. Oedip. Col. 125 Enarr. ex *μαμαῶν* verbo repetere. Sed omnium maxime huc spectat, quod ea ipsa de caussa postremo loco nomino, *τέτρομος*, cujus vocabuli meminerunt *Apolonius Dyscolus* de pron. p. 334 Bekk. et *Etymolog. Magn.* 560, 32. Quem omnem locum quoniam vix primis lineis adumbraverunt nostri grammatici, pervelim aliquis accuratius perscrutetur. Ceterum vero totus locus mihi nescio quo modo ex poetae alicujus imitatione ductus et distinctus videtur. —

P. 555, b. 37 pro eo, quod Cliniam respondentem faciunt editores etiam recentissimi: Ὀρθότατα λέγεις: permirum est Ω habere: λέγει(οις), A λέγοις. Ac repeto hic, quod supra jam significavi, videri mihi ne *Turicenses* quidem horum ipsorum codicum auctoritatem omnem satis vel cognovisse vel curavisse et tenuisse in iis maxime, in quibus non ipsam quidem veritatem servant illi sed veritatis tamen quandam speciem vel vestigia quaedam. Hoc idem enim hoc loco quin sit statuendum, equidem prorsus non dubito, praesertim quum hoc cum loco comparo Republ. 10 p. 535 b. 18, ubi *Turicensibus* non secundum *Astii* conjecturam cum b: Ὀρθότατα, ἔφη, λέγεις: sed cum ac, nisi quod c male λέγοις habet, ex libris: ὀρθότατ' ἄν, ἔφη, λέγεις: scribendum fuisse hic ipse Legum locus luculentissime testatur. Nam mihi certe prorsus non est dubium, quin ipsa A et Ω codd. scriptura non aliunde sit orta quam inde, quod, quum in antiquissimis exemplis ὀρθότατ' ἄν λέγεις scriptum vidissent idque graece ferri non posse arbitrentur, alii ἄν omiserunt, alii contra λέγεις in λέγοις mutaverunt. Ac recte *Schneiderus* in illo reipublicae loco (T. III. p. 254) librorum lectionem tenuit, quem vide etiam ad T. I. p. 90 sq. —

Eodem modo p. 560. b. 36 in Cliniae responsione etiam *Turicenses* edi curaverunt: ἡμεῖς γοῦν, ὃ ξένη, καὶ οἶδε σὺν ἄλλην ἄν τινα δυνάμεδα ᾠδὴν ἢ ἦν ἐν τοῖς χοροῖς ἐμάδομεν ξυνήδεις ἄδειν γενόμενοι invitis libris a *Bekkero* collatis omnibus, qui potius praebent τὴν pro ἦν, quod quamvis ipsum verum non sit, veri tamen vestigia tenet. Nam quod ante hunc annum p. 22 docebam, haud raro locos sanandos esse duabus variantibus in unam lectionem conjungendis, id hic quoque faciendum esse apertissimum est. Scribendum enim est: ἢ τὴν ἦν ἐν τοῖς χοροῖς ἐμάδομεν ξυνήδεις ἄδειν γερόμενοι. In quo dicendi genere Platoni satis familiari τὴν non est pro demonstrativo pronomine habendum neque a relativo separandum commate, sed pro vero articulo, cui quum participium deberet subijci: ἢ τὴν ἐν τοῖς χοροῖς ἕφ' ἡμῶν μανθανομένην, pro eo participio subijcitur enuntiatum verbale: ἦν ἐμάδομεν. Quod propter *Astium* docui, qui de hoc usu dixit ad V, 3. T. II. p. 242. Sic infra est p. 583. a. 31: τῶν ἂ τότε ἐπεσκοποῦμεν, τίνας τίνων ἄρχειν δεῖ. et p. 601. b. 12: ἄν τε ἀγγέλλειν βούληται τις, ἐάν τ' αὖ πυνθάνεσθαι τῶν ὧν προσήκει πόλει πρὸς πόλεις ἄλλας ἀποκρίνεσθαι. P. 603. a. 12: ἐὰν ὑβρίζωσί τι περὶ τοὺς ὧν ἐπιμελοῦνται. Sic p. 637. b. 37 *Turicensibus* necessario post *Astium* scribendum erat: νῦν δ' ἐπὶ τὴν τροφήν καὶ τοὺς ὅσοι περὶ αὐτὴν ταύτην συνδιαπονοῦσιν ἀναγκαῖον νομοθετοῦντά ἐστι τρέπεσθαι. P. 666. a. 40: ὁ αὐτὸς δὲ λόγος σοι καὶ περὶ ἐκείνων ἄν εἴη τῶν οὗς σὺ κατιδὼν ἐκ σμικρῶν μεγάλους γεγονότας ἀνοσιουργήσαντας ἢ τι τοιοῦτον πράξαντας φήθης ἐξ ἀδλίων εὐδαίμονας γεγονέναι. Ac sic haud scio an etiam p. 693. a. 5: Ἄρα σὺν ἴσμεν, ὅτι δὲ ἐστὸν τῶν περὶ θεῶν ἄγοντε εἰς πίστιν ὅσα διήλδομεν ἐν τοῖς πρόσθεν; aut etiam, quod magis placet: ἐστὸν περὶ θεῶν ἄγοντε εἰς πίστιν τῶν ὅσα scribendum

sit pro eo, quod vulgo editur: ὅτι δὲ ἐστὸν τὴν περὶ θεῶν κ. τ. λ. P. 650. b. 20: κατεγγνάτω τὸν φῶ ἂν ἐπισκῆπτηται quoniam ex iis locis unus est, quos l. l. collegit *Astius*, non afferrem, nisi statim post quoque legendum crederem: ὁ δὲ παρεχέτω τοὺς οὗς ἂν ἢ τῶν περὶ ταῦτα δικαστῶν ἀρχὴ κρίνη pro eo, quod vulgo est: τοὺς ἐγγυητὰς ἀξιόχρεως, οὗς κ. τ. λ.

P. 561. a. 1 sqq.: Atheniensis hospes de artibus imitatricibus sic fere quum disputat: Ἄρ' οὖν οὐ πᾶσαν μίμησιν φαῖμεν ἂν ἐκ τῶν νῦν λεγομένων ἤμισα ἡδονῇ προσήκειν κρίνεσθαι καὶ δόξῃ μὴ ἀληθεῖ καὶ δὴ καὶ πᾶσαν ἰσότητα; οὐ γὰρ εἴ τῷ δοκεῖ ἢ μὴ τις χαίρει τῷ, τό γε ἴσον ἴσον οὐδὲ τὸ σύμμετρον ὅλως, ἀλλὰ τῷ ἀληθεῖ πάντων μάλιστα, ἤμισα δὲ ὀφροῦν ἄλλῳ (sic enim cum *Bekker* et ediderunt *Turicenses* et interpunxerunt): quotquot fere fuerunt vel editores vel critici Platonicis, ab iis omnibus conjecturae sunt de iis verbis propositae, quae a ceteris distinxi, quibus meam quoque symbolam addere libet. Quum enim ex Bekkerianis saltem libris nihil sit diversitatis enotatum, nisi quod alter χαίρέτω, alter χαίρει habet pro χαίρει τῷ, unde in iis verbis ipsis turbam esse commotam conijcere licet, ipse Plato fortasse sic scripsisse censendus est: οὐ γὰρ, εἴ τῷ δοκεῖ ἢ μὴ, τῷ τοι τόγε ἴσον ἴσον οὐδὲ τὸ σύμμετρον ἂν εἴη σύμμετρον ὅλως, id est, non enim, si cui videtur vel non, ideo profecto simile fuerit simile. Τῷ τοι particulas, quibus Plato etiam in *Theaeteto* p. 88. a. 20 usus est: τῷ τοι, ὃ φίλε Θεόδωρε, μᾶλλον σκεπτέον ἐξ ἀρχῆς: recipere debuerunt *Turicenses* etiam in *Rpbl.* 3. p. 455. b. 35 pro τοιγάρτοι ex libris. —

P. 589. b. 28. In verbis: Τὰ μὲν οὖν περὶ γονέας τε καὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ περὶ πόλιν τε καὶ φίλους καὶ ξυγγένειαν ξενικά τε καὶ ἐπιχώρια διεληλέδαμεν σχεδὸν ὀμιλήματα. Τὸ δὲ ποιός τις ὢν αὐτὸς ἂν κάλλιστα διαγάγοι τὸν βίον, ἐπόμενον τούτῳ διεξελεῖν, ὅς' ἂν μὴ νόμος ἀλλ' ἔπαινος παιδείων καὶ ψόγος ἐκάστοις εὐνήτοις μᾶλλον καὶ εὐμενεῖς τοῖς τεθήσεσθαι μέλλονσι νόμοις ἀπεργάζηται. ταῦτ' ἐστὶ μετὰ τοῦτο ῥητέον: me quidem iudice *Turicensibus* non erat *Astii* conjectura recipienda sed librorum omnium auctoritas cum abc sequenda. Quamquam ut abc quidem scribunt, sane solœca est oratio, qualis dedecet Platonem vel in Legibus. Optime, spero, omnia habebunt, si sic interpunguntur verba: ἐπόμενον τούτῳ διεξελεῖν. ὅς', ἂν μὴ νόμος, ἀλλ' ἔπαινος παιδείων καὶ ψόγος ἐκάστοις εὐνήτοις μᾶλλον καὶ εὐμενεῖς τοῖς τεθήσεσθαι μέλλονσι νόμοις ἀπεργάζεται, ταῦτ' ἐστὶ κ. τ. λ. Quae neque explicare nec probare argumentis necesse videtur. —

P. 590 a. 4. Mirum est, quod in verbis: τὸν αὐτὸν δὴ τοῦτον ἔπαινον καὶ περὶ σωφροσύνης χρῆ λέγειν καὶ περὶ φρονήσεως καὶ ὅσα ἄλλα ἀγαθὰ τις κέκτηται δυνατὰ μὴ μόνον αὐτὸν εἶναι ἀλλὰ καὶ ἄλλοις μεταδιδόναι καὶ τὸν μὲν μεταδιδόντα ὡς ἀκρότατον χρῆ τιμᾶν: Ω habet χρῆμα et r χρῆμα. Mihi ergo dubium non est, quin hic quoque egregius ille Ω non ipsam quidem veritatem sed verae tamen scripturae aliquod vestigium solus servet. Quid autem scripserit antiquitus Plato, difficile est dicere. Si tamen quid conijcere oportet, χρῆ μὴν τιμᾶν aut simile quid eum scripsisse conijcerim. —

P. 599 a. 2: γενομένον γε μὴν οὐ λέγομεν, εἴπερ τιμὴν τρόπον καὶ μηχανῇ γίγνεται ὀρθῶς, πολλὴν ἐγωγε ἀσφάλειαν οἶμαι καὶ μετὰ τὸν τότε παρόντα χρόνον ἂν γενέσθαι τοῦ μείναι τὴν παιδαγωγηθεῖσαν οὕτω τὴν πόλιν. In quibus verbis per se satis expeditis quis non mecum miretur codices omnes non habere, ut editur, χρόνον ἂν sed χρόνον ὃν ἂν? Idne ὃν residuum est vestigium pro-

nominis alicujus evanidi τοῦτον vel ἐκείνον? Certe καὶ μετὰ τὸν τότε παρόντα χρόνον τοῦτον expressit *Cornarius*: *etiam post illud tunc praesens tempus.* —

Eadem pagina b. 35 quum pro eo, quod vulgo edi solet: λέγω δὲ καδάπερ εἶπον νῦν δὴ, δις γὰρ τό γε καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει, Κνωσίους δεῖν ἐπιμεληθῆναι πάντων τούτων: in ΑΞΩυf sit λέγω γε, in ἤr et γρ Ω δὴ, neminem fore credo, quin ipsum Platonem λέγω δὲ γε, καδάπερ εἶπον νῦν δὴ, scripsisse concedat. Quod ne quis inutili ineptaque abundantia scriptum putet, non est inutile explicare. Nam hoc dicit Plato: *Dico* autem, ut *dixi* nunc ipsum, nam bona bis dicere nil nocet, Cnosiis haec omnia curae esse debere. Contraponuntur inter sese multa cum vi praesens et perfectum tempus, qua ipsa contrapositione quae singularis temporis praesentis nascitur vis, eam indicat suo prorsus more praesenti adjuncta particula γε. Quod ipsum re vera voluisse Platonem, satis clare ipse significavit ipso verborum ordine, quum non scripsit καδάπερ νῦν δὴ εἶπον, sed καδάπερ εἶπον νῦν δὴ.

Non minus mihi improbandum videtur, quod recentissimi quoque editores p. 605 b. 11 cum veteribus editionibus scribere maluerunt: ὁ δὲ ὄφλων τὴν τοιαύτην δίκην ὑπεχέτω μὲν τοῦ βλάβους τῷ βλαφθέντι τὸ ἡμῖσιν τίνειν, ἐὰν δὲ μείζονος ἄξιός εἶναι δόξη ζημίας, προστιμᾶν τοὺς κρίναντας τὴν δίκην ὅτι χρὴ πρὸς τούτῳ παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτίνειν τῷ κοινῷ καὶ τῷ τὴν δίκην δικασαμένῳ: quam cum libris omnibus: προστιμᾶν τοὺς κρίναντας τὴν δίκην, ὅτι χρὴ πρὸς τούτων παθεῖν. Ficinus in interpretatione sua neutrum agnoscit, neque πρὸς τούτῳ nec πρὸς τούτων. Ego autem illud πρὸς τούτῳ rejiciendum duco primum quidem propterea, quod non est ex libris ductum, deinde vero quoniam tam est facile, ut, si id quidem scripsisset Plato, nequiquam credibile sit quenquam huic alterum illud substitutum fuisse, postremum ob id ipsum, quod videtur obesse. Quum enim et ante sit ὁ βλαφθεῖς et post ὁ δικασάμενος, offendere videtur pluralis πρὸς τούτων. Praeterea vero nihil placet addere nisi, πρὸς τούτῳ ut addatur non esse necessarium propter προστιμᾶν.

Eodem modo servanda mihi videtur librorum omnium lectio potius p. 611 b. 41: καὶ σφόδρα λεγόμενα ἅ τ' εἰρηκας καὶ πιστεύεσθαι πιθανά: quam quod manifesta corruptionis suspicione editur: ἅ γε, εἰρηκας. Explicanda autem est illa communis omnium librorum scriptura ex hyperbati observatione: καὶ σφόδρα λεγόμενά τ' ἐστίν, ἅ εἰρηκας, καὶ πιθανὰ πιστεύεσθαι. Cujus apud Platonem maxime frequentis ac sat gravis figurae rationes legesque fere prorsus etiam ignotas accuratius tandem aliquando anquirere tempus fuerit. —

Nec magis video, cur p. 622 a. 13 etiam recentissimi edere maluerint: ΚΛ. Ἐοικέ γε· ἐστὶ μέντοι πάμπολλα ἡμῖν, ὃ ξένη, παρὰ τὰς εἰσθίας πολιτείας τῶν νῦν λεγομένων. ΑΘ. Ἀλλὰ γὰρ εἶπον τὸν μὲν λόγον εἶσαι διεξελεῖν, εἴ διελθόντος δὲ οὕτω τὸ δοκοῦν αἰρεῖσθαι δεῖν. ΚΛ. Μάλα εἶπές τε ἐμμελῶς πεποιηκός τ' ἐμὲ τὰ νῦν αὐτὸν ἐμαντῷ ἐπιπλήττειν, ὅτι ταῦτα εἰρηκα: quam cum libris *Bekkeri* omnibus Ἀλλὰ γὰρ εἰπὼν. Est enim aposiopesis facta illa subita Cliniae interpellatione. Nam postquam Clinias ad ea, quae Atheniensis satis prolixè exposuit, videtur quidem, inquit, sed permulta tamen eorum quae nunc diximus, longe sunt alia, quam in iis solent esse rebus publicis, quae nunc sunt, sic quum pergat Atheniensis: At enim praefatus, orationem procedere debere nec prius, quam ubi recte processerit, esse judicandum sed tum demum, quod videatur, eligendum: subito interpellatur a Clinia pertaeso praeproperae impatientiae suae recteque se eatenus vituperari sentiente sic: rectissime dixisti fecistisque,

ut ipse me, quod haec dixi, reprehendam. Perge ergo, ut vis. Scilicet hoc vel simile quid dicturus erat Atheniensis: Praefatus ego ista non exspectaveram, me ita interpellatum iri. Vide autem, quam apte Atheniensis et Cliniae verba inter sese consonent: Ἀλλὰ γὰρ εἰπὼν — μάλα εἶπες ἐμμελῶς! —

Sic etiam p. 656 b. 4. Ταῦτα τάχ' ἂν ἐρεσχηλοῦντες εἴποιεν ὦ ξένη Ἀθηναίε καὶ Λακεδαιμόνιε καὶ Κνωσίε, ἀληθῆ λέγετε. ἡμῶν γὰρ οἱ μὲν τό παράπαν θεοὺς οὐδαμῶς νομίζουσιν: quum in A sit νομίζομεν (ουσιν), in ΞΩψῆ νομίζομεν, nullus ergo librorum — nam r totum locum non habet — illud νομίζουσιν exhibeat nisi aut supra scriptum aut tanquam lectionis varietatem, me quidem iudice νομίζομεν eo fidentius erat recipiendum, quo magis prima persona ob dicendi insolentiam mutationi locum daret. —

P. 671. a. 32: εἰάν δέ τις ἀπειθῆ τούτοις, ὁ παρατυγχάνων τῶν ἀστῶν μὴ ἔλαττον ἢ τριάκοντα γεγονῶς ἔτη κολάζων μὲν τὸν ὀμνόντα ἀνατὶ τυπτέτω, prorsus non dubito, quin ex ΑΩστ et γρ. ἢ scribi debeat τυπτέτω τις, nam ὁ παρατυγχάνων τῶν ἀστῶν τις graece dici ut exemplis probem opus non habeo. —

P. 674. b. 15. Ἐάν ὁ μὴ διαδέμενος θυγατέρας, τοῦ ἀποθανόντος ἀδελφὸς ὀμοπάτωρ ἢ ἀκλήρος ὀμομήτριος ἐχέτω τὴν θυγατέρα καὶ τὸν κληρὸν τοῦ τελευτήσαντος: in quibus verbis procul dubio ex ΑΞΩτ erat recipiendum τοῦ δὲ ἀποθανόντος, nam ille δὲ particulae usus, quo apodosin fere anectit protasi, neque a Platone est alienus. —

P. 687. b. 16: βλάβης δὲ ὑπόδικος γενέσθω, εἰάν τε ἤτταται ἀγωνιζόμενος εἰάν τε καὶ νικᾷ: eo magis miror etiam *Turicenses* cum he *Boeckhii* conjecturam ἤτταται retinere maluisse quam codicum omnium lectionem sine dubio verissimam ἤττηται sive ἤττηται, quum jam ab *Astio* quamvis et ipso *Boeckhianam* conjecturam tenente recte de conjunctivo perfecti passivi sit monitum, quae forma sane quum ab antiquioribus tum a recentioribus saepius est oblitterata.

Ut jam etiam unam alteramve mei ipsius conjecturam hic proponam, affero p. 675. b. 12: Νῦν δὴ τοῖς ὀρφανοῖς παισὶ γέनेσις οἷον δευτέρα τις γίγνεται ἂν μετὰ μὲν οὖν τὴν πρώτην ἐκάστοις εἴρηται τροφαὶ καὶ παιδεύσεις: μετὰ δὲ τὴν δευτέραν ἐρημον πατέρων γενομένην μηχανᾶσθαι δεῖ, τίνα τρόπον ἢ τῆς ὀρφανίας τύχῃ τοῖς γενομένοις ὀρφανοῖς ὡς ἥμισυ ἔλεον ἔξει τῆς συμφορᾶς. πρῶτον μὲν δὴ φαμεν νομοθετεῖν αὐτοῖς τοὺς νομοφύλακας ἀντὶ γεννητόρων πατέρας οὐ χείρους καὶ δὴ καὶ καδ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὡς οἰκείων ἐπιμελεῖσθαι προστάττομεν ἐμμελῆ τούτοις τε αὐτοῖς περὶ τροφῆς ὀρφανῶν προομιασάμενοι καὶ τοῖς ἐπιτρόποις. Agit ibi de tutorum officii Plato eosque orbis tanquam patres alteros naturalibus haud deteriores esse jubet. Quod quomodo dicat, jam age videamus. Ac primum quidem, inquit, illis jubemus legum custodes pro genitoribus lege constituere parentes haud deteriores atque adeo singulis annis tanquam propriis curare. Quae vero est ista et sentiendi et dicendi ratio! Quid? *singulis annis* jubentur legum custodes et tutores orbos curare? Istud ut credam Platonem dixisse nunquam profecto adducar. Cur tandem singulis annis, καδ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν? Deinde, si quid sapio, genitivo opus est, ad quem referantur ὡς οἰκείων verba. Quid plura? Credo Platonem olim scripsisse sic potius: καὶ δὴ καὶ, καδ' ὅσον ἐνι, αὐτῶν ὡς οἰκείων ἐπιμελεῖσθαι. Nam ut illud, orbos *quovis anno* curandos esse tutoribus tanquam proprios filios, ineptum est dicere, si quid video,

ita aptum est adjicere hoc, orbos curandos esse tanquam proprios filios, quoad quidem ejus fieri possit. De quo non videtur pluribus esse dicendum. —

P. 576 a. 29. Quoniam in verbis: ταῦτ' οὖν αὐτοῖς πάντα φιλίαν ἀλλήλων ἐνεποίει, ὁ φόβος ὁ τότε παρῶν ὅ τε ἐκ τῶν νόμων τῶν ἐμπροσθεν γεγονώς, ὃν δουλεύοντες τοῖς πρόσθεν νόμοις ἐκέκτηντο, ἦν αἰδῶ πολλάκις ἐν τοῖς ἄνω λόγοις εἶπομεν, ἧ καὶ δουλείειν ἔφαμεν δεῖν τοὺς μέλλοντας ἀγαθούς ἔσεσθαι, ἧς ὁ δειλὸς ἐλεύθερος καὶ ἀφόβος· ὃν εἰ τότε μὴ δέος ἔλαβεν, οὐκ ἂν ποτε ξυνηλθῶν ἡμίνατο οὐδ' ἤμυνεν ἱεροῖς τε καὶ τάφοις κ. τ. λ. quum alia difficilia sint tum maxime illa: ὃν εἰ τότε μὴ δέος ἔλαβεν (nam neque *Ficini* interpretatio: *ac nisi praesens ille metus pudori huic junctus fuisset*: ex graecis Platonis verbis ullo modo potest elici nec mirum *Astii* commentum, qui *Ceterum*, inquit, *abstractum* ὄν, *int.* φόβον, *pro concreto positum est*; *significantur enim ipsi Athenienses*, cuiquam probatum iri confido), sic conjicio Platonem primitus scripsisse: ὁ φόβος ὁ τότε παρῶν ὅ τε ἐκ τῶν ἐμπροσθεν γεγονώς, ὃν δουλεύοντες τοῖς πρόσθεν νόμοις ἐκέκτηντο — ἦν αἰδῶ — ἐλεύθερος [καὶ ἀφόβος] — ὃν εἰ τότε μηδεὶς ἔλαβεν, οὐκ ἂν ποτε ἡμίνατο. —

Denique — nam plura jam afferre taedet — p. 689 b. 36 de corruptissimis illis verbis: ΑΘ. Ὡ Κλεινία, πολλὰ τῶν ἐμπροσθεν καλῶς ἔμνηται, σχεδὸν δὲ οὐχ ἧκιστα τὰ τῶν Μοιρῶν προσρήματα. ΚΑ. Ποῖα δὴ; ΑΘ. Τὸ Λάχεσιν μὲν τὴν πρώτην εἶναι, Κλωθῶ δὲ τὴν δευτέραν, τὴν Ἄτροπον δὲ τρίτην, σῶτειραν τῶν λεχθέντων, ἀπεικασμένα τῇ τῶν κλωσθέντων τῷ πυρί, τὴν ἀμετάστροφον ἀπεργαζομένον δύναμιν κ. τ. λ. nihil video, quod me recte prohibeat, quominus aliorum conjecturis etiam meam aliquam adjiciam. Fortasse ergo Plato ita scripsit: τὴν Ἄτροπον δὲ δὴ τρίτην, σῶτειραν τῶν λαχόντων (post *Astium*), ἀπεικασμένην τῇ τῶν κλωσθέντων σωτηρία, ἀμετάστροφον ἀπεργαζομένην τὴν δύναμιν. —